q Quidam homo fuit potens et senex multum qui habebat filium
quem tenere diligebat. Cui dedit uxorem. Tunc dicebat
filius: Pater dimitte mihi omnia et te vivere faciam amodo absque
labore et sine domestica cura. Pater respondit: Fili libenter hoc
faciam. Sicque renunciatis omnibus que habebat tradidit in manus filii
omnem substantiam ipsius volens de cetero vivere sine magno labore et
ducere vitam amodo quietam. Tunc filius omnibus habitis fecit illi lectum
in archa sua curamque suam in omnibus bene agens. Tandem cum non
potuit illum pati propter aliquas senectutis infirmitates, removit
ipsum a se ponens in loco valde despecto. Ibique iacens per multa tempora
valde despective et pauper et inops. Tandem propter nimium frigus clama
vit ad filium ut subveniret ei in tegumento aliquo ne gravatus frigore
moreretur. Tunc filius accepit de burcello duas ulnas et divisit
patri dans unam partem, alteram intactam et inpetitam conservabat. Quod
videns filius parvus quem habebat accepit pannum illum quem pater reserva
bat, abscondit in foramine alicuius muri. Et cum pater post hac re
quereret ubi ille esset, respondit filius: Bene scio pater. Duxitque
patrem ad locum dicens: Ecce ubi positus est. Cui pater: Cur feci
sti hoc fili? Respondit puer: Reservavi ad opus tuum ut cum tu
senex fueris quemadmodum avus meus nunc est, protectionem vel ad reme
dium corporis tui. Ad hec pater: Nichil amplius facies michi fili. Filius
autem: Certe vix tantum aut minus facturus sum. Tunc pater recog
noscens negligentiam suam ad patrem suum de cetero in maiori
diligencia fecit in necessariis cunctis parenti suo optime ministrare.

m De milite qui solitus fuit in cimiteriis orare

Miles quidam consueverat in cunctis cimiteriis orare pro defunctis cum
magna devocione et pietate. Quadam autem vice fugatus a suis
inimicis, et sic fugiens venit in cimiterium cuidam. Ecce nec
inmemor oracionis sue solite oravit dominum pro se et pro omnibus fidelibus
defunctis et precipue ibidem requiescentibus. Interim persequentes illum

Di fed
liccte
puorum
Ad bon

Ad bon

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 596, p. p.%2013 – Excerpts from the lives and teachings of the Monastic Fathers (http://www.e-codices.ch/en/csg/0596/p.%2013)